TENTAMEN MEDICUM

DE SCORBUTO,

Quod publicis ſubjiciebat diſputationibus in Illuſtriſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi,

Auctor Josephus Vigier, è loco Arpajon, (Partitione du Cantal).

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

Argumentantibus Profeſſoribus Illuſtriſſimis DD. PAULO JOSEPHO BARTHEZ, Univerſitatis cancellario; GASPARDO-JOANNE RENÉ, Decano; ANTONIO GOUAN, Pro-Decano; FRANCISCO BROUSSONET; FRANCISCO VIGAROUS; HENRICO-LUDOVICO BRUN; HENRICO FOUQUET.



MONSPELII,

Apud Joannem-Franciscum Picot, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum

M. DCC. XCI.

PATRI OPTIMO

NEC-NON

UXORI MEÆ CARISSIMÆ.

D. V. & C.

Obſequentiſſimus Filius
fiduſque conjux,
J. VIGIER.



TENTAMEN MEDICUM

DE SCORBUTO.

VARIAS auctorum opiniones, circa causas et diversas species scorbuti propter dissertationis angustias, viriumque tenuitatem perpendere non tentabo, de veris tantùm scorbuti causis; de signis diagnosticis; de prognosi et de curâ agam.

Quamquam frequentissimè grassetur scorbutus inter navigantes, nihilominus tamen morbus is, prætiosissimæ huic hominum classi tanquam peculiaris non est considerandus: terrarum siquidem incolæ vitam non degunt illa labe immunem, cum causæ à quibus ortum ducit terrâ marique pariter occurant, nec etiam parcit infantulis.

Omnes ferè censent merito auctores scorbutum ortum suum debere omnibus quæ perspirationem *Sanctorianam* sufflaminare et dein cohibere queunt; videlicet humida et frigida aëris constitutio, fervidissimi calores, tristia animi pathemata, sicuti tædium, sollicitudo, timor, et mæstitia, vita iners et sedentaria, ardua tum animi, tum corporis diutinè protracta opera; solitarum corporis exercitationum promptior cessatio diuturna vegetabilium recentium et fructuum horariorum penuria; usus consuetus ciborum crassorum, viscosorum et concoctu difficilium, putà carnium et piscium siccatorum, muriâ conditorum fumovè induratorum, casei vestutioris, butyri annosioris et rancidi: farinaceorum, non fermentatorum, pisorum fabarum, etc. Aquæ dulcis modica potatio vel inopia, uti in longioribus nauticis itineribus aliquoties accidit; venus immoderata crapula frequens; liquorum spirituosorum et

ardentium abusus, vestium et corporis sordities, morbi chronici prægressi, febres præsertim intermittentes; soliti mensium aut hæmorroïdum fluxûs suppressio item crebræ et ingentes hæmorragiæ; his addendum esse volunt. D. *Rouppe* et EWERANDUS MAYN WARINGE, herbee nicotianæ usum, sive masticetur sive fumus ipsius hauriatur, cui lubenter assentimur opinioni.

Verum has inter scorbuti causas non eodem intensitatis gradu donantur omnes; majori enim semper agit energiâ, aëris humida temperies, qua solâ absque cujus cumque alterius concursu, si diu perseveret, et ab ejus vi corpus non rite muniatur, morbum hunc procreare potest. Post causam hânc primum tenent colum diuturni mærores, et corporis segnities; verum hæc sicuti et aliæ supra recensitæ, si una cum aëris humiditate non concurrant, nullatenus aut saltem rarissimè scorbutum gignunt; hujûs solummodo tanquam prædisponentes causæ haberi debent.

Scorbutus endemicus est morbus in plerisque borealibus plagis, ubi acriores sunt hiemes, et sæpe sæpius nebulosæ; nec-non imbriferæ tempestates. Lacubus et stagnis aut mari vicina loca maximè adoritur. Observatione compertummanet accolas regionum paludosarum, aut crebris inundationibus subditarum densissimis obtectarum nemoribus, labi huic æque ac febribus intermittentibus obnoxios esse.

Notandum est interea, quod in angliâ incolæ maritimarum arcium, in locis frigidis, profundioribus, et humidis sitarum, veris scorbuti simptomatibus, cruribus nempe ædematodeis, ac ulceratis, gingivarum putredine tententur; dum e contrà pagi vicini, sed in solo sicco et arenoso locati, aëreque multo minus rappido perflati, labem hanc minimè experiuntur, porro, nonne multa dantur exempla infortunatorum, qui carceribus, aut cameris humidis inclusi scorbuticâ labe fuere conflictati etiamsi victu saluberimo uterentur.

Signa scorbuti prænuntia sunt, insolita quædam segnities, a quocumque exercii genere aversatio, sedendi aut decumbendi assidua cupiditas, in tenebrosis et solitariis locis plerumque latitatio, sollicitus tristisque vultus, colorem nativum facies amittit, pallida fit flava et terrulenta, aut intumescit præsertim inferiores palpebras quod potissimum manè observatur cum electis surgunt ægrotantes; viridescunt caruncule lacrimales, sanguifera pallescunt occulorum vasa, hi ardore nativo non amplius emicant, pallescunt et quoque labia coloreque inficiuntur sublivido, torporem et de fatigationem spontaneam in trunco et artubus persentiunt ægri, cum genuum stupore et debilitate. In regione epigastrica quandoque de molesto sensu conqueruntur, ac semper

cruciantur dyspnæâ, quæ vel levissimo de motu increscit; abdomen quodam modo tumidulum habent, et alvum plerumque adstrictam. Eorum cutis est admodum sicca, serpentina, vel anserina, in quibusdam asperrima, præsertim si adsit febris; quod raro accidit; ast sæpè sæpius calida apparet. Cibos et potulenta hactenus ut plurimum appetunt scorbutici et sat integra valetudine perfrui videntur.

Ast brevi magis ac magis increscunt symptomata maculis pluribus sub rubris, aut sub cæruleis cutis deturpatur; initio in ambitu sub flavæ, de die in diem, fusciorem adipiscunt colorem, ac porro purpuræ, et quandoque etiam nigerrimæ evadunt; quod fit potissimum in secundo morbi stadio. Maculæ hæc variam obtinent latitudinem et figuram; aliæ enim lenticulares, morsus pullicum ad instar, aliæ palmares, aliæ sub rotundæ, aliæ irregulares, cutis planitiem non supperantes; sanguinem sub epidermide à contusione extravasatum planè assimilant, in tibiis femoribus, circum genua frequentius apparent, sæpè in brachiis, volâ manuum, thorace, trunco; rarius in facie et capite oriuntur; his aliquoties etiam sat magnis lividis aut violaceis maculis partes genitales, ad ani margines usque defœdantur; signa hæc, alterum subsequitur pathognomonicum videlicet gingivarum pruritius tumefactio et a levi quovis attactu cruentatio; quæ quidem dum inviterascit morbus, fiunt dein molles, spongiosæ, putres et fungosæ, tuncque fœtidissimè olet anhelitus.

In hac primâ scorbuti periodo intumescunt nonnullorum crura, in aliis quandoque ita attenuantur ut nuda cutis deturpata, ossibus affixa videtur. Hæc autem initio circa malleolos serotinis horis, manè vero ferè omnino evanescens, observatur intumescentia, verum post breve temporis spatium sensim ad vicinas serpit partes, cruraque fiunt prorsus ædematodea.

Notatu dignissimum est quod morbi quilibet prægressi, aliquoties tunc imo sævius non raro recrudescunt quodque morbus quicumque presens quo conflictantur ægri, maligniorem semper adipiscatur indolem, ratione ejus cum scorbuto complicationis.

In secundo morbi stadio præter jamjam enumerata symptomata observantur frequentissimè tendinum flexorum tibiæ versus femora retractio, ita ut brevi tempore extendi non possit membrum hocce, quin imo sensim sensimque talus versus nates trahatur; quod senibus, et sicciori temperamento donatis potissimum evenit; crampi admodum dolorifici ægros sæpissimè cruciant. Intumescunt genua, pruriunt, immaniter dolent, peritque non raro motus partium harumce. Accedunt frequenter pectoris angustiæ, nec-non à minimo quovis motu, lipothymiæ, syn-

copes. Hæc sic censentur symptomata tanquam constantius essentialia huic scorbuti periodo.

Scorbutici in isto morbi stadio copiosis et quandoque lethalibus hæmorragiis è variis corporis partibus erumpentibus obnoxii sunt. Contusiones, excoriationes, et vel levissima vulnera in ulcera mali moris degenerant; tandem maximopere afficiuntur gingivæ, dentes denudantur, sæpè nigricant, in suis vacillant alveolis, dolent et quandoque sponte decidunt; nec-non aliquando carie inficiuntur ossa maxillaria. Circa hujus periodi finem vulnera prægressa, etsi firmâ cicatrice fuerint agglutinata, nonnunquam iterum reserantur. Veteres ossium fracturæ, quanquam firmiter olim fuerint consolidatæ, denuo itidem franguntur eadem parte qua fuerant callo obductæ, et nisi perfectè sanato morbo non amplius evanescunt; tanta est pariter ossium quorundam fragilitas, ut minimâ de causa, quasi sponte transversim dessiliant. Tandem pulsus adest plerumque parvus, inæqualis et tardior, cutis vero summâ ariditate stipatur.

In ultima scorbuti periodo, omnia jamjam recenstia symptomata adeo fiunt urgentia, tantamque adipiscuntur gravitatem, ut vix ac ne vix ulla supersit spes sanationis. Hæc autem maximè horrenda teterrimaque tunc observari, non mirabitur quisquis accuratè attendet ad corporis statum in hoc morbi stadio.

Ast sæpè sæpius è medio tolluntur scorbutici copiosissimis sanguinis valdè corrupti hæmorragiis tum è pulmonibus, ventriculo, naribus, vasis hæmorroïdalibus, utero renibus, tum è variis cutis partibus, nullo ut plurimum apparente vulnere, viscera thoracica, et abdominalia, gravissimo, obstructionis et putredinis gradu, frequenter labefactantur, unde phthisis, hydrops, icterus hypochondriasis, absoluta animi et virium prostratio contracturæ nervorum intollerabiles suboriuntur. In hac tertia scorbuti periodo, pulsus adest plerumque languidior, et parvus, dein fit inæqualis, ac intermittens, dum quieti jacent ægri; leviter enim moto corpore, celer percipitur et inæqualis.

Hæc præcipua ac potissima sunt scorbuti symptomata notandum est interea, quod omibus ægris, non omnia semper occurant, discriminis enim aliquantulum observatur, ratione temperamenti et naturæ ægrotantium.

Variat prognosis juxta progressus morbi plus minus-ve celeres, sexum ac ætatem, subjecti indolem, morbi stadium, denique symptomatum intensitatem, et complicationes. Si lentè procedant ac successionem tardivam patiantur symptomata, ita ut remediorum actioni faveat similis progressus, bonum: si è contra typum ferè accutum sequatur af-

fectus ; et nisi à medicamentis summis dotibus præditis arceri queant morbi progressus, malum.

In adolescentibus et fœminis menstrua patientibus, sanabilior est scorbutus, quam in senibus vel debilitatis, apud quos sæpè solvitur in alios morbos, difficilè ac ferè nunquam sanabiles ; scorbutus infantes aggrediens, levis in genere habetur morbus, modo in incunabilis profligetur ; ast infantulos plurimos, invito remediorum optimorum, ast tardiùs adhibitorum usu, marasmo confectos periisse docent observata.

Valetudinarii temperamento debili donati, mulieres delicatulæ præsertim chlorosi correptæ à morbis prægressis nec-non evacuationibus nimiis exhausti, ab animi pathematibus tristitiâ scilicet, et mærore confecti ; à morbis venereis, mercurialium ope feliciter etiam debellatis sæpius olim correpti ; alias scorbuto tentati, demum causis remotis jam recensitis, magis proclives aut expositi sæpius facilius crudeliusque à scorbuto detinentur ; unde malum.

In primo stadio facilis obtinetur sanatio ; febris initio superveniens, morbum sæpe solvit, juxta *Lemeilleur* ; idem dicendum de scabie apparente juxra *Vogel* gingivarum affectus facile sanatur quamvis ægrotantes careant vegetantibus, modo actionem et exercitia rectè patiantur. Ast si in lecto detineantur per symptomatum vehementiam, absolutè necessaria fiunt vegetantia. In secundo stadio verum imminet periculum deficientibus præsertim vegetantibus aliisque remediis anti-scorbuticis. In tertio tandem inanes non raro sunt artis conatus ; tanta enim in solidis fluidisque viget dissolutio, tanta horrendaqua symptomata, ut spes ferè nulla sit, ac arduum aliquoties morbi instans prævideri queat.

Alvus vegetabili diætà soluta, cutis mollis, per faustam perspirationem madida, maculæque flavescentes securum pollicentur eventum. Tormina ventris diuturna, vel tympanitidem, vel mortem subitam præsagiunt ; respiratio difficilis, periculosa : quo gingivæ magis ulcerantur et macula nigrescunt eo sevior morbus ; ulcera magis periculosa in malleolis, *Swieten*, *pag.* 334 si magnus ac diuturnus sit morbus, et tandem liveant hypocondria, ventrisque tormina accedant, mors cita subsequitur nimia salivatio ob exinanitionem subsequentem, et suffocationem subitam, cui non raro ansam præbet, timenda, dolor nimius præprimis inpectore ob febrem, constrictionem, ac pectoris oppressionem, quæ succedunt ut plurimum mali sunt ominis ; hæmorragiæ ob ingentem debilitatem quam procreant, periculosæ, diarrhæa frequens, fœtida et dolorosa animi deliquiis, sudoribus frigidis, morti etiam aliquoties locumdat ; si epidemica sit majus periculum ; gangræna et caries,

tum primario scorbuticæ, tum vulnus aut ictum subsequentes æqualiter vitam ægrotantis minantur.

Convulsiones licét raræ propter turbam quam affectibus remediorum inducunt pessimæ; animi deliquia mortem imminentem denuntiant, licet enim cum omnibus morbis complicationes patiatur scorbutus, sæpius tamen cum phthisi pulmonari, asthmate, febre intermittente, (cui aliquoties succedit scorbutus) peripneumoniâ pleuritide, variolis, hydrope, ictero, lue venerea, dysenteriâ, febre putrida, porro omnibus in illis casibus infausta est prognosis; circa autem diagnosim ac therapeiam, harumce complicationum, consulatur D. *Goguelin* qui optimè de illis experientiâ instructus, scripsit; quod quidem ob dissertationis limites à nobis est prætermittendum.

Triplici sub aspectu consideranda est therapeia, nempè vel tanquam viru scorbuticum erradicans, vel tanquam symptomata debellans, vel denique tanquam morbi curationem prævidens, inde curatio specifica, symptomatica, prophilactica, nunc de unaquaque seorsim.

In curatione radicali seu specifica, veniunt adhibenda cuncta auxilia, 1°. quæ humorum excretionem juvant per alvum, renes, cutim præprimis cum utilius ac facilius sudores patiantur scorbutici; 2°. quæ virus scorbutici correctionem diluendo, edulcorando, vel specifice destruendo moliri possunt, porro talia præbentur, à diætâ, pharmaciâ, quandoque sed raro chirurgiâ, quoad auxilia diætetica victus ducatur è vegetabilibus recentibus, ast quantum in potestate venit ex acetariis, refrigerantibus, nec-non alkalescentibus quibusdam copiosè et assiduè assumptis.

Inter olaracea commendantur lactuca, endivia, brassica, avena, hordeum, etc.

Inter acida, præstant limones, citri, aurantio, grassularia, acetosa, portulaca, piraceum pomaceum, etc.

Inter edulcorantia, lacticinia omnia invita sententiâ *Morthon* et *Coste*, serum lactis, cremores ex oriza avena zagu, panis triticus bene coctus carnes recentes.

Inter specifica non acria mel et saccarum, secundum mentem D. *Goguelin* quoad acria volatili spiritu dotata, veniunt recensenda cochlearia nasturtium, allium sinapis, porrum, napus silvestris, abrotanum, petroselinum, absinthiuum, sedum minus, chelidonium, beccabunga, raphanus, fumaria trifolium marinum.

Sub omni forma adhibenda sunt illa vegetantia quibus semper addenda veniunt mel et saccarum, si opinioni D. *Goguelin* fides adhibetur. Optimum est partim acida, aut alkalescentia vegetantia, partim

insipida

insipida et oleracea simul administrare ; notandum tamen quod indiscriminatim illæ substantiæ non sunt usurpandæ aliquibus enim ægrotantibus, acria et non acida, aut vice versa prosunt. Dantur etiam qui ope unius autalterius vegetabilis fuerunt sanati ; exceptiones exindè occurrunt regulam generalem, nequaquam destruentes.

Vegetantium recentium privatio aut ea servandi difficultas locum similiter præbuerunt usui medicæ anti-scorbuticorum pharmaceuticorum, nam auxilia optima ex vegetantibus repetuntur, succi enim eorum valdopere commendantur præsertim si misceantur acidi cum alkalinis et maritentur cum sero lactis, non prætermittantur etiam, acida mineralia qualia oleum aut spiritus vitrioli vel sulphuris, spiritus salis marini ; cunctis illis juxta symptomata, plurimis in casibus interponenda sunt tonica, amara, interque cortex peruvianus.

Maximè conducunt etiam ex jam dictis, 1°. alvi laxitatem excitantia, itaque tamarindi, prunæ, cremor tartari, aqua maris aliaque minorativa ; 2°. perspirationem juvantia unde decoctum juniorum ramorum abietis camphora, potiones theriacales, demum diaphoretica ; 3°. urinas moventia id circo oximel scilliticum parçâ dosi sed pluries indie assumptum, per medicamen alvus laxetur.

De auxiliis chirurgicis nulla aut pauca proferam, eo quod minus utilia sint phlebotomia valde noxia habetur in secundo stadio, pessima in tertio, ast in primo non adhibenda ; nisi pletoricus sit æger, morbus recens, corpus juvenile, suppressioque fluxus cujusdam sanguinei, scorbutum præcesserit, generationique ejus faverit ; tunc scarificationes phlebotomiæ anteponit *Hoffman* applicationem hyrudinum venis sedalibus utiliorem judicat *Lemeilleur* ; quoad vesicantia semper timendum ne gangrænam inducant.

Neque oscitanter agendum, cum symptomatibus, ægrotantem in illo morbo cruciantibus, medelamque peculiarem sisçitantibus, itaque, 1°. quando gingivæ laxantur et pruriunt, alumino vel alio astringente, sub forma gargarismatis utendum est. Cavendum tamen nequid ex tali medicamine potet æger ; si tumeant scarificandæ sunt ; si sanguinem effundant minimo sub tactu admoveantur antiseptica ; in hoc sensu laudantur acida mineralia, aut aquâ tantum dilata, vel cum melle aut corticis peruviani decocto, myrrhâ aut tincturâ rosarum maritata. In omni casu linteum carptum his præparationibus imbutum applicetur supra gingivas aliquoties indie, vel cum penicillo illis imbuto tangatur pars affecta. Notandum sedulo quod ferè impossibilis fiat aliquoties horumce remediorum adhibitio nimiam propter gingivarnm sensibilitatem, tunc autem procedat sedi majoris cum melle maritati applicatio.

Adversus tussim scorbuticam laudantur æpispastica, funticuli, diæta lactea aër campestris, oximel scilliticum gummi ammoniaci. In asthmate scorbutico oximel scilliticum succi cæparum et porrorum, ast cæteris palmam præripit extractum croci in aquâ propriâ dissolutum, et ægris per intervalla exhibitum. *Lemeilleur.*

Diarrhea per electuarium diascordii reaubarbarum vinum rubrum et in extremis opium venit frenanda, ast nunquam subito et penitus arcenda, si valdè sanguinolenta sit misceantur aluminis grana aliquot cum diascordio.

In dysenteriâ scorbutica infusio ipecacuanhæ parata spiritu vini parca dosi sæpius autem adhibita; rhabarbarum fracta dosi, cortices amari, elixir vitriolicum aqua mineralis leviter ferruginosa valdopere commendantur. à D. *Linds.*

Ad dolores intestinorum lancinantes paccandos, nulla carminativa calida competunt, clysteres autem emollientes, præstant nec-non liquor mineralis anodinus *Hoffmani.*

Accedentibus hæmorragiis multum valent decoctum corticis peruviani, acida mineralia, serum lactis aluminatum, in febribus autem pethechialibus nil satius est quam acida, vinum rubrum, cortex peruvianus, camphora aliaque medicamina antiseptica.

Laudantur adversus ædemata frictiones cum pannis laneis calidis aut fumo gummarum accensarum imbutis, pluries de die peractæ, nequidem prætermissis diureticis, pillulis præsertim scilliticis; et fasciis omni in puncto pars leviter constringatur; si doleant ac rigescant partes œdematosæ fomentatio calida, et discussiva, sero et manè instituta ante ponatur. In hunc finem laudibus extollit *Linds* vapores aquæ calidæ cumaceto aut sale ammoniaco, post ea fricentur partes cum oleo palmæ; si infausta aut inania sint illa medicamina, tunc tententur vapores aquarum spirituosarum aut imponantur partes sacco sale calido repleto. *Linds.*

Maculæ scorbuticæ succo citri et aquâ calcis, cum spiritu vini camphorati mixtâ de die lavandæ; laudat *Goguelin* fomentationem cum seminibus lini, aquâ communi aquâ vitæ camphoratâ, et sapone albo.

Sanantur aliquando exostoses scorbuticæ perfrictiones cum limonum offulis peractæ.

Rigiditas membrorum vapore aceti emollienda, aut salis ammoniaci in aquâ soluti lotionibus; dein oleo palmæ perungantur articuli rigidi.

Adversus dolores magnoperè valent potiones sudoriferæ et anodinæ cum theriacâ spiritum indereri, et oximelle scillitico, ast sæpè ac sæpius ipsius symptomatis sanatio curationem radicalem sequitur.

Tibiarum aliarum-ve partium ulcera levissimam compressionem exposcunt, adhibitionemque anti-septicorum idcirco cum linteis constringatur pars, dein tum extus tum intus, adhibeantur spiritus vitriolicus, decoctum corticis peruviani extus præcipuè mel rosarum acidularum, limonum offucæ, elixir vitrioli multâ aquâ dilutum, folia recentia trifolii aquatici; beccabunga sola in cerevisia cocta, et bis de die apposita. Si adsit gangrenæ metus, hæc aquâ calcis viva cum spiritu vini camphorato, et sale ammoniaco avertitur, ast satius per corticis peruviani et camphoræ alta dosi adhibitorum usum.

In convulsionibus laudanda est post D. *Goguelin* potio sequens cujus quarta pars ingruente affectu, et totidiem horâ quacumque ægrotanti offert; sumantur scilicet radicis enulæ campanæ drachma semi, tartari vitriolati grana sex, aquæ communis unciæ octo, sacchari uncia una et semi, liquoris mineralis anodyni *Hoffman* guttæ octo.

Quædam circa therapeiam prophilacticam dicenda restant præcipua autem præcepta ad sequentia reducuntur, aërem frigidum humidumque sedulo vitent ægri, in locis siccis degant aëre puro, campestri, leviter calido, vestimentisque non humidis, sed mundis utantur, exercitio moderato fruantur, alimenta recentia sumant, aquam puram cerevisiam aut vinum moderatè epotent, vegetantia recentia in usu sint, omni ope perspirationi faveant. Idcirco animi tranquillitate, lætitia libertate mentis fruantur fatemur autem finem dissertationi nostræ imponendo plurima momentosa à nobis fuisse prætermissa, verum jamdiu nos præmunt transgressæ dissertationis limites; accipe igitur patres sapientissimi levissima hæc conamina si rectè cuncta à vobis manant, si male ex fonte meo.

FINIS.